



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de erroribus Pelagianorum, de gratia, de iustificatione & merito,
de virtutibus theologicis & quatuor cardinalibus, ac de ineffabili mysterio
incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

§. I. Præmittitur quod apud omnes est certum & duplici conclusione
proposita difficultas resolvitur

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77177)

ne, à qua tamen non dependet, sed à contraria, in alio; mollities in ira ex natura rei dependet à calore, & tamen hanc dependentiam non habet in luto. Pariter ergo, si gratia sanctificans in pueris nullam dicat dependentiam à motibus liberi arbitrij, eam tamen ex natura rei importat in adultis peccatoribus.

Ad secundam similiter dico, Majorem non esse universaliter veram, sed aliquando falsam: calor enim qui requiritur ad introductionem formæ carbonis in lignum, non est necessarius ad talis formæ conservationem.

Agendum hic esset de dispositionibus ad gratiam actualem, & discutiendum, an homo ex viribus naturæ possit disponere ad primum auxilium gratiæ, vel saltem, an facienti quod in se est ex sola facultate naturæ, Deus non denegat gratiam, sed ipsam infallibiliter & ex certa lege impertiatur? Verum quia in Tractatu de prædestinatione, dilucidè & exactè has difficultates resolvimus, ab his in præsentia abstinemus, & ad locum illum Lectorem remittimus. Unde sit

Diff. 2.
Art. 3.

DISPUTATIO V.

De Certitudine gratiæ.

Divus Thomas artic. 5. hujus questionis 112. agit de certitudine gratiæ: unde ut ea quæ ibi docet exponamus hanc disputationem subjungimus, in qua duo tantum examina occurrunt. Primum est, an aliquis, seclusa peculiari revelatione, possit esse certus certitudine fidei, vel theologicæ, se esse in gratia, & emundatum ab omni peccato? Secundum, an saltem possit habere certitudinem moralem suæ iustitiæ, quæ omnem formidinem excludat?

ARTICULUS PRIMUS

An sine peculiari revelatione homo possit esse certus certitudine fidei, vel Theologicæ, se esse in gratiæ

§. I.

Præmittitur quod apud omnes est certum, & duplici conclusione proposita difficultas resolvitur.

1. **S**upponimus tanquam certum & indubitatum, aliquem hominem privatum certò posse cognoscere, & credere se esse in gratia, si hoc specialiter ei revelatum fuerit, sicut fuisse revelatum Adamo in statu innocentie, & Angelis in statu viæ, tenent plures Theologi: imò S. Thomas hic art. 5. docet aliquibus Sanctis ex speciali privilegio hoc interdum revelari, ut (inquit) securitatis gaudium in hac vita in eis incipiat, & confidentius & fortius magnifica opera prosequantur, & mala præsentis vite sustineant.

2. **Q**uestio ergo procedit de via ordinaria, & citra hujusmodi privilegium; & movetur primò contra hujus temporis hæreticos, asserentes hominem in hac vita non tantum posse esse certum de sua gratia & salute, sed etiam teneri fide Catholicæ credere se esse iustificatum. Secundò

A movetur contra Catharinos, qui opusculo de certitudine gratiæ docet iustum posse discursu theologico (deducto ex una propositione de fide, & alterà lumine naturali notà) certò & evidenter cognoscere se esse in gratia. Pro veritate catholicæ declaratione & defensione

Dico primò: nullus, seclusa revelatione, potest esse certus certitudine fidei se esse in gratia.

Hæc conclusio probari posset multis Scripturæ testimonijs, sed duo sufficient, quæ adducit D. Thomas hic art. 5. Primum quod habet in argum. Sed contra, sumitur ex cap. 9. libri Ecclesiastes: Nescit homo utrum amore vel odio dignus sit: ubi de amore & odio Dei sermo est, & de homine iusto, ut colligitur ex verbis præcedentibus, sunt iusti &c. Unde D. Bernardus: Terribilis est locus iste, & totius expertis quietis; totus inhorat, si quando in eum raptus sum; illam apud me replicans cum tremore sententiam: Quis scit, si est dignus amore, an odio? &c.

Secundum quod adducit in corpore articuli, habetur 1. ad Cor. 4. ubi Apostolus ait: Neque meipsum iudico: nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum; qui autem iudicat me, Dominus est. Quem locum idem S. Doctor ibidem lect. 1. sic exponit: Nihil mihi conscius sum, id est non habeo conscientiam peccati mortalis; sed non in hoc iustificatus sum, id est non sufficit ad hoc ut me iustum pronuntiem; quia possunt aliqua peccata in me latere quæ ignoro, secundum illud Psalmi 18. Delicta quis intelligit?

Nec obstat quod idem Apostolus (teste D. Thomà hic art. 5.) sciverit per revelationem se esse in gratia: nam vel quando prædicta verba protulit, adhuc non habuerat talem revelationem; vel si eam habuerat, ea non protulit, prout erat privata quædam persona, sed ut communem hominum personam agens; sicut cum dixit ad Rom. 7. Lex spiritualis est, ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato, quod enim operor non intelligo; aut si pro seipso ea protulit, hoc fecit attendendo ad communem modum cognoscendi propriam iustitiam, præciso privilegio specialis revelationis, quod habebat.

Probatur secundò conclusio ex SS. Patribus, 4. in eandem veritatem passim conspirantibus: Augustinus enim super hæc verba Psalmi 50. Incerta & occulta sapientia tua manifestasti mihi, nihil tam incertum & occultum esse ais, quam quod Deus ignoscat peccantibus. Et lib. de perfect. iustitiæ post medium: Quamlibet (inquit) iustitiæ sit præditus homo, vereri debet, ne aliquid in se, quod ipse non videt, culpandum inveniat. Gregorius Magnus lib. 6. Epist. 22. respondens ad Gregoriam Augustæ cubiculariam, quæ de remissione suorum peccatorum certior fieri vehementer exoptans, ad eum scripserat, hæc habet: Rem mihi difficilem, & tibi inutilem postulasti; difficilem, quia indignus sum cui revelatio immittatur à Deo; tibi inutilem, quia securitas negligentiam parit. Idem Bernardus serm. 3. de adventu, de sua & proximi conscientia loquens, Neutra (inquit) satis mihi nota, utraque abyssus inscrutabilis, veraque mihi nox est. Quibus testimonijs aperte liquet, SS. Patres multum ab hac certitudine, quam jactant hæretici abfuisse.

Notant etiam SS. Patres, & Scripturæ Interpretes, quod Scriptura agens de remissione peccatorum, respectu personarum particularium, semper adhibet particulam istam, forte ut à nobis perniciosam hanc iustitiæ propriæ confiden-

deniam amoveat: Daniel. 4. Peccata tua ele-
miseris radime, forsitan ignoscat Deus delictis tuis.
Aldum 8. Age penitentiam, & roga Deum, si for-
titeremur iniquitas tibi. Jonæ. 3. Quis scit si con-
vertatur Deus, & ignoscatur?

Hanc Scripturæ & SS. Patrum doctrinam con-
firmat definitio Tridentini sess. 6. cap. 9. dicen-
tis: Sicut nemo prius de Dei misericordia, de Christi
merito, deque Sacramentorum virtute & efficacia du-
bitare debet: sic quilibet, dum seipsum, suamque pro-
prium infirmitatem & indispotionem respicit, de sua
gratia formidare & timere potest, cum nullus scire
valeat, certitudine fidei, cui non potest subesse fal-
sum, se gratiam Dei esse consecutum. Ubi Conci-
lium non solum reprehendit & damnat dicen-
tes hanc fidem necessariam esse ad iustificati-
onem, sed etiam asserentes eam esse possibili-
lem, ut patet ex illis verbis: Cum nullus scire va-
leat, &c.

Potest etiam suaderi conclusio ratione: Per
fidem divinam ea solum cognoscimus, quæ vel
in Sacra Scriptura, vel in traditionibus sunt re-
velata, & propolita ab Ecclesia, per Concilia,
vel Summos Pontifices: Sed non est revelatum,
nec ab Ecclesia proponitur ut revelatum, quod
aliquis sit in gratia: Ergo id non potest cognosci
fide divina. Major patet: Minor probatur.
Quamvis enim revelatum sit Deum parcere ve-
re penitentibus, nullibi tamen est revelatum,
quod ille aut iste in particulari verè & sincerè
penituerit, & quod minister sacramenti peni-
tentis habuerit intentionem ipsum absolvendi
a peccatis: Ergo &c.

Dico secundo: Non potest homo certò judica-
re se esse iustum, etiam certitudine theologicà.

Probatur breviter: Id dicitur certum certitu-
dine theologicà, quod virtualiter continetur in
aliqua propositione universalì à Deo revelata,
& nobis per Ecclesiam propolita: Sed hæc parti-
cularis propositio, Ego sum in gratia, vel, Mihi
sunt remissa peccata, non continetur virtualiter
sub aliqua universalì à Deo revelata, & nobis
per Ecclesiam propolita: Ergo non potest esse
certa certitudine theologicà. Major est certa:
Minor probatur. Absoluta propositio particula-
ris non continetur sub universalì conditionata,
quandiu non est certum conditionem esse com-
pletam in hoc individuo: Sed omnes propositiones
generales de iustificatione hominis, à Deo
revelata, & nobis per Ecclesiam propolita, sunt
conditionales (Deus enim non promittit gratiam
& veniam peccatoribus, nisi sub conditio-
ne quod verè & sincerè peniteant) & nulli cer-
tò constare potest talem conditionem esse im-
pletam; quandoquidem illa posita est in actibus
internis conscientie hominis, qui nec in se vi-
dentur, nec per experientiam sufficienter ipsi-
met homini innotescunt: Ergo propositio ista,
ego sum iustificatus, non continetur virtualiter sub
aliqua universalì à Deo revelata.

Confirmatur: Certitudo theologica vel potest
esse quasi à priori, ex causis nostræ iustificationis,
vel quasi à posteriori, ex effectibus ejus: Sed neu-
tro modo haberi potest: Ergo simpliciter est im-
possibilis, absque speciali revelatione. Major
patet: Minor quoad primam partem probatur.
Causa gratiæ in anima est triplex, scilicet Deus,
minister sacramentorum, & actus proprii peni-
tentis, qui sunt dispositiones ad illam: Sed nul-
lus potest esse certus de præsentia Dei causantis
gratiam in anima, secundum illud Job. 9. Si reno-

rit ad me, non videbo eum; si autem abierit, non in-
telligam: neque de efficacia sacramentorum, ut
potest quæ dependet ab intentione ministri, quæ
nobis occulta est, & ab ordinatione & intentione
Episcopi ordinantis, & conferentis illi pote-
statem, de qua etiam non possumus habere cer-
tam notitiam: nemo etiam potest esse certus de
propria dispositione, cum non possit certò co-
gnoscere, an habeat verum dolorem de peccatis,
ex motivo supernaturali, qui sit contritio, vel
saltem æritio: Ergo nemo potest habere certam
cognitionem causarum gratiæ.

Quod verò eam à posteriori, & per effectus
certò cognoscere nequeat, manifestum est: quia
nullus est effectus habens cum gratia necessa-
riam connexionem, certò & infallibiliter co-
gnoscibilis, propter maximam conformitatem
quam habent opera naturæ cum operibus gra-
tiæ: mens enim humana (inquit Gregorius) sæ-
pè sibi mentitur, & fingit se bonum amare quod
non amat, ut experientia compertum est.

Confirmatur: Inter omnia gratiæ indicia, hæc
duo sunt potissima, scilicet velle exponere vi-
tam, seu subire martyrium, & nullius peccati
mortalis habere conscientiam: Sed ex nullo isto-
rum potest aliquis certò cognoscere se esse in
gratia: Ergo id non potest certò scire à posteriori,
seu ex signis aut effectibus. Minor probatur
quoad primum, quia reperiuntur falsi martyres,
qui cum putent se ex vero & laudabili motivo
subire martyrium, ex aliquo tamen vicioso, sed
occulto, aguntur in mortem, dumque existi-
mant se perfecte relinquere seipsos, id quod ha-
bent pretiosissimum, scilicet vitam, profunden-
do, modo subtiliori seipsos quærent. Suadetur
etiam quoad secundum: Nam David & Saulus
erant sine conscientia peccati mortalis, & tamen
primus dicebat: Ab occultis meis munda me Domine:
secundus verò exclamabat: Nihil mihi conscius
sum, sed non in hoc iustificatus sum. Quæ verba ex-
pendens Hieronymus lib. 2. adversus Pelagianos,
ait: Qui hoc dicebat, nullus utique peccati sibi
consciens erat: sed quia legerat, Delicta quis intelligit
& sunt via, quæ videntur viro iuste, novissima autem
earum respiciunt in profundum inferni: deinde tempe-
rabat sententiam, ne forte per ignorantiam deliquisset;
maximè cum Scriptura testetur: Est iustus qui perit in
iustitia sua.

S. I.

Solvuntur objectiones.

Obijcies primò contra primam conclusio-
nem: Apostolus ad Roman. 8. ait: Ipse spi-
ritus testimonium reddit Spiritui nostro, quod sumus
filij Dei: At testimonium Spiritus Sancti est infal-
libile, eique fide Catholica tenemur assentiri:
Ergo fide Catholica possumus ac tenemur cre-
dere, nos esse filios Dei, & per consequens ius-
tificatos, & in statu gratiæ. Unde Augustinus
lib. de vera penit. cap. 2. Non dicimus (inquit)
dimitte nobis debita nostra, propter peccata, quæ remissa
credimus in baptismo, nisi de fide dubitemus.

Respondeo verba Apostoli intelligenda esse de
tota Ecclesia, cui Spiritus Sanctus testatur quod
habeat spiritum adoptionis; nò autem de lingulis
Christianis in particulari: confert enim Apo-
stolus totà Epistolà ad Romanos Ecclesiam cum
Synagoga, contendens Ecclesiam habere spiritum
adoptionis; Synagogam verò habuisse spiritum
timoris. Si tamen velimus illud de fidelibus in
particu-